



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 62. Seditiosa Scotorum Societas pro tuenda spuria reformatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI. ceteri quoque Episcopi juncta hujus
A. C. 1558. Archiepiscopi opera quemdam hæreticum Pastorem nomine Paulum Messanum in judicium vocabant, eodem supplicio afficiendum: cum vero hæreticorum turba seditionem concitare inciperet, sententiam ad tempus magis opportunum differebant. Verum hæc ipsa immodica severitas populum exacerbabat, palamque contra Ecclesiasticos querebatur, unde die prima Septembris Edini seditio erupit, eo tempore, quo illa die solemnis habebatur supplicatio: itaque hæretici, eorumque fautores in eos, qui Sancti Ægidii venationem representabant, furibundi irruunt, hujus Sancti effigiem eripiunt, atque in cloacam projiciunt.

§. LXII.

*Seditiosa Scotorum Societas pro
 tuenda spuria reformatione.*

Ex hac ipsa hæreticorum petulantia facile cognoscebatur, quod sensim Cleri autoritas imminueretur, quocirca ad eam rursus firmandam die octava Novembris Edini Cleri comitia celebrabantur, eo fine, ut animi fortitudinem, viriumque fiduciam exhibentes Ecclesiastici dispicerent, utrum calamitatibus undique ingruentibus remedium opponere possent: Attamen re
 in

Sæcul. XVI.
A.C. 1558.

in deliberatioem vocata, interim Protestantium fautores, necnon quidam Æstuarix, & Angulinæ Provinciæ Nobiles per univèrsùm regnum dispersi cunctos hortabantur, ut novæ Sectæ nomen darent, nec se, suosque amicos ejusdem Religionis societate conjunctos ab exiguo hominum numero ferme inermi opprimi paterentur, cum hostes suos utpote numero longe inferiores nullo negotio superare valerent, dummodo ex legum præscripto agere velent, certo persuasi, quod facile, si ipsis libertas vi adimeretur, prævalere possent. Hac spe erecti Sectatores armorum societatem conflabant, quam ex variis urbibus homines quamplurimi suo chirographo firmare, a præfatis Nobilibus jubebantur. Hæc prima fuit conjuratio, quæ in Scotia ad tuendam novæ Sectæ defensionem inita fuit, eaque facta Protestantes, cum se numero superiores cernerent, arrogantius quædam a Regni Administratrice postulare aggrediebantur, hancque in rem Jacobum Sandlandium Equitem de Caldero veneranda senectute conspicuum seligunt, eumque ad Reginam ablegant, quam ille adiens, se ad acceptandam hanc legationem necessitate compulsus aiebat, simulque Reginæ exponebat, quod quædam quoad Religionem

nem

Sæcul. XVI.
A.C. 1558.

nem mutari oppido necessarium foret: si vero hac in re repulsam ferret, instare periculum inquebat, ne univ-
ersum Scotiæ regnum in apertas furoris
flammas erumperet, ac populi ad com-
munem seditionem concitarentur. In-
super idem præter alia postulabat, ut
Ecclesiarum Ministri in publicis preci-
bus, & Sacramentorum administratio-
ne patria lingua uterentur, ut quilibet
ea, quæ dicerentur, intelligere posset,
dummodo id absque tumultu fieri vale-
ret: petiit etiam, ut juxta antiquum
morem Ministrorum electio ad populi
suffragium devolveretur.

§. LXIII.

*Officium Divinum in lingua vernacula
celebrandi facultas Protestantibus
indulta.*

Thuan. l. 21. Equidem Episcopi sese horum postu-
latorum temeritati opponerent, unde
ingens utrinque disceptatio effervesce-
re cœperat; quamvis autem Regni Ad-
ministratrix Catholicorum partes pro-
viribus tueretur, eisque clam, quoties-
cunque sese occasio offerret, auxilium
suum impendere polliceretur, cum ta-
men tempori cedendum existimaret,
publicosque tumultus pertimesceret,
hinc Protestantibus indulgebat, ut suas
preces